

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Ge. 7.



DE IVRE FOEMINARVM
IN FEVDIS:

MATERIA NOBI
LI, AMPLA, DIFFICILI,
ET NODOSA:

Tractatio,

Ex I. u. flosculis,

*Et receptis interpp. & summorum tribunalium
sententijs & præjudicijs,
breviter deducta,*

Et politicis ac historicis argumentis &
exemplis illustrata:

Et ex autoritate & consensu

Amplissimi & Nobilissimi ordinis Iurisconsultorum,
in illustri, atq; celeberrima Academia
FRANCOFORDIANA:

PRO LOCO
Publicè proposita

AB

HIEREMIA SETSERO SILES.

Philosoph. & u. I. D.

Respondente

CHRISTOPHORO STEPHANI

Francofurtano March.

Disputatio fiet, Deo dante, a. d. xx. Sept. h. 7.
mat. & seqq. in auditorio ICorum.

Typis Sciuvinis.

*Magnificis, Nobilissimis, & Amplis-
simis viris:*

DN. IOANNI A LÖBEN,
in Bullersdorff. &c: Marchiæ
Cancellario:

&

Dn. ARNOLDO DE RETGER
*IurisCons. celeberrimo: &
Illustris: atq; potentis: Electoris
Brandenburgici,
Consiliario primario:*

**Dominis, patronis, fautoribus
& Amicis**

Obf.

*Hanc de jure fœminarum in Feudis
commentationem,*

ex notis feudalibus breviter deductam:

Ex voto

D. D.

Hieremias Setserus.D.

DEO PRAEUEUNTE

DE IURE FOEMINARUM IN FEUDIS.

Προλεγόμενον.

Rem magnam et difficilem in medium proferimus: sed quæ neq; discenti in studiis incommoda, neq; bonorū virorum auribus inimica; neq; à schola nostra aliena videri debet.

ἐκθεσις.

De iure enim foeminarum in feudis disputabimus, de quo ab initio feudorum, & à primis Regnorum exordiis inter potentissimos Principes & populos mirificè disceptatum est.



Assertio I.

Pars 1. fo

ET si autem natura omnes homines æquales fecit, adeoq; nullam inter sexum foemineum & masculinum differentiam constituit, cum de rebus acquirendis agitur. 1. maxi. paces non mum vitium, C. liber præter. tamen jus civile & honestas ordinis politici in plerisq; voluit conditionem foeminarū atq; masculorum distinctam esse:

II.

Non solum in successione: et ot. tit. de legit. agnat. success. ut cum ex L. Voconia mulier à locupletibus, etiamsi filia esset, ultra quadrantem

A 2

drantem

drantem heres fieri prohiberetur: Augustin. 3. de civit. Dei. c. 21. Anton.
August. in tract. de lib. in yb. Voconia. Balduin. in tract. de L. Voconia.

III.

Verum etiam in dignitate: quæ in virili sexu putatur ma-
jor esse. 1. 1. senator. l. fin. ibi: marem foeminae præferemus, de fid. instrum. Castigl.
lib. 3. de aulico. pag. 235. adeoq; foeminae radiis dignitatis maritalis co-
ruscare dicuntur. 1. mulieres, 13. C. dignitatib. l. fin. C. incol.

IV.

Et in civilibus officijs, à quibus foeminae lege publica re-
motæ sunt: eamq; ob causam neq; iudices esse possunt, neque
magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec
procuratrices existere: 1. 2. D. R. 1.

V.

Nec obscurum est Græcorum institutum, apud quos fas
non fuit in convivio virorum accumbere mulieres. Ctc. in 3.
Verrin.

VI.

Quippe, (ait Thucydides) optimam crediderunt esse foemi-
nam, de cujus laude & vituperatione quam minimus foris sermo
haberetur, & quod probæ mulieris nomen & corpus peræquè do-
mesticis parietibus continendum videretur.

VII.

Vt rectè omninò atq; sapienter responderit Vlpian. noster
in l. 7. D. stat. hom. in multis, adeoq; in plerisq; juris nostri articulis,
deteriorem esse conditionem foeminarum quam masculo-
rum.

VIII.

Non tamen ullum omninò videtur hujus discriminis exem-
plum adferri posse nobilius, quam id quod ex natura & conditio-
ne feudorum desumitur: quippe quod foemina ab omni feudo re-
gulariter censetur esse prohibita. c. 1. § hoc autem de his qui feud.
dare possunt. c. 1. § filia, de success. feud. c. 1. quemadmod. feud. ad fil. pertin. c. 1. an mul.
vel alias imperfect. c. 1. nat. success. feud. c. 1. § similiter, cap. qui cur. vendid. c. 1.
in fin. feud. March.

Adeoq;

IX.

Adeoq; verè dixeris, hoc jus foeminarum in feudis esse, quod in iis regulariter nihil juris habeant.

X.

Quod etsi contrarium est communibus juris civilis regulis, quo non minus succedit foemina quam masculus. l. maximum vitium, C. lib. præter. est tamen juris feudalis axioma certissimum.

XI.

Cui tamdiu inhærendum est, donec foemina aut masculus à foemina descendens exceptionem ostendat. ex tradit. per Menochi, conf. 391. n. 1. vol. 4. Decian. conf. 58. n. 2. vol. 2.

XII.

In feudis enim regulariter succedunt tantum masculi: qui cum regulam pro se habeant, habent etiam quoad exclusionem foeminarum intentionem fundatam. Dec. conf. 296. n. 4. in fin. Vult. 1. feud. 9. n. 25. in fin.

XIII.

Adeoq; in re dubia contra foeminas est præsumtio, quod feudum masculinum sit, non foemininum. Dd. in c. 1. § si inter filiam si de feud. defunct. per c. 1. de nat. succels. feud. c. 1. § fin. quid sit investit.

XIV.

Et ita hoc casu masculinum non compræhendit foemininum, quod aliàs regulariter fieri solet. l. 1. cum not. ibid. D. V. 8.

XV.

Neque hoc æqualitati illi, de qua supra verba fecimus, est contrarium, sed maximoperè consentaneum, ut ex natura ipsa desumptum esse videatur.

XVI.

Etsi enim multi existimant, nullam, cur hoc casu jus feudale à jure communi recesserit, rationem sufficientem reddi posse: sed pro ratione esse voluntatem eorum, qui hanc consuetudinem introduxerunt. gl. in d. § hoc autem notandum in yb. a successione feudi. his qui feud. dare possunt, quam sequitur Clar. in § feudum, q. 73. n. 1. tamen minimè

recipienda est hæc opinio, cum non una, sed plures rationes dari possint.

XVII.

Principio enim bellorum necessitas feuda introduxit; & regulariter feuda ob servitia militaria concedi solent.

XVIII.

At fœminæ ad bella gerenda non sunt aptæ: quia sunt infirmæ & imbecilles corpore; animo instabiles: actione minus cautæ: pugna feroces & temerariæ: ingenio pavidæ: ancipites consilio, & rei militaris imperitæ: secundum Arist. z polit. cap. 2.

XIX.

Mulierum proprium officium est domestica curare, & domi telam expenso trahere: at viri est publica administrare, & in bello tela tractare.

XX.

Adde, quod præcipuè in feudis conferendis, & in militibus ad virtutem excitandis magna ratio familiarum habita fuit: quæ per agnationem conservari intelliguntur.

XXI.

Id quod in feudis Regalibus, ut vocant, vulgò *Sahnsehn*/ maximè conspicuum est, in quibus potissimum consideratum fuit, ne in aliam familiam regnum transferretur, in quo ex certa progenie & stirpe reges assumerentur.

XXII.

Et ne aliquando contingeret, ut extraneo Principi populus subjiceretur, quod quidem omnes politici summo studio semper averfati sunt.

XXIII.

Nusquam enim plures civitatum interitus, quàm ex ea sola causa memorantur.

XXIV.

Probat Corinthus, quæ non alia de causa in tyrannidem incidit, quàm quod Timophani Imperatori peregrino celsisset.

Probat

XXV.

Probant Britanni, qui ab Anglis, Hispani, qui à Mauris, Græci, qui à Turcis peregrinis & extraneis de imperio dejecti fuere.

XXVI.

Quod autem subacto & domito armis populo evenit, ut exteris subjiciatur, id ex matrimonio filiae Regis cum extero Principe contracto eveniret. Hanc ob causam etiam ius successionis Regni in foeminis, & de scendentibus ex foeminis per sepe violatum esse, ne populus externum Regem haberet, multis exemplis probat Vinc. Cahot. 1, var. tur. disp. c. 17.

XXVII.

Fœmina enim sicut familiae suae caput est, ita etiam finis: ut eleganter loquitur Paul. in l. pronuntiatio. 195. in fin. D. V. S.

XXVIII.

Caput, intelligo principium: quia unà cum marito dominium in domo habet, ejusque familiam constituit sobolis procreatione ac propagatione: finem: quia quam sobolem enixa fuerit, non in sui patris, sed in mariti potestatem familiamque profert. § fin. ubi Vvescub. insit, de patr. potest. l. familiae. 196. D. V. S.

XXIX.

Quam ob causam præclare dixit Solon: filiam esse κτήματα & κτήριον, possessionem patri alienam: quod per nuptias in familiam mariti transeat, & nomen suae familiae relinquere intelligatur.

XXX.

A deo autem fœmina à successione feudi excluditur, ut etiam masculi ex fœmina exclusi nati, ad feudi successionem regulariter non admittantur. c. 1, success. frat. c. 1, § hoc autem notandum. his qui feud. dare possint.

XXXI.

Sic nostrorum parentum ætate, Guilhelmus Comes Nassovius, & ejus filius Princeps Vranienfis, non potuerunt in Comitatu Rakenelenbogen succedere: sed in eo potius jus Princeps Philippus, Hassiae Landgravius obtinuit.

Quid

XXXII.

Quid ita? quia Comitatus ille fuit Imperii feudum masculinum: at in hoc soli agnati, qualis fuit Landgravius, & eorum liberi, exclusis foeminis, succedunt.

XXXIII.

Itaq; remota Elizabetha, Guilhelmi Comitis Nassovii matre, rectè quoq; ipse Guilielmus, unà cum filio remotus fuit. nor. Duaren. in tr. feud. c. 9. in fin. Et hæc caussa per annos quinquaginta in Camera Imperiali disputata est: donec tandem transactione sopita est omnis controversia: Vide Chytrae. lib. 19.

XXXIV.

Quippe, hoc perpetuum est, ut impedimentum obstans antecessori, ipsius etiam obstet successorib. cum successor melioris conditionis esse non debeat, quàm ipsius antecessor. l. quod quis 143. D. R. I. & l. si viva matre. § nam licet. C. de bon. matern.

XXXV.

Et nemo plus juris in alium transferre possit, quàm ipse habeat. l. nemo. D. R. I.

XXXVI.

Nec juris civilis ratio admittat, ut successiones fiant per saltum, sed ordine juris servato. l. 1. § prius. de successor. edit. l. octavi. D. Vnd. cogn. § placebat. inst. de leg. t. agnat. success.

XXXVII.

Adeoq; etiam ne feudum quidem per saltum vadat. ut loquitur Angl. Conf. 100. n. 4. Ernest. Cothman. resp. 26. n. 89.

XXXVIII.

Vt ita necesse sit, ad hoc, ut gradus sequens admitti possit, gradum præcedentem successionis esse capacem. arg. l. meminimus. C. de legit. hered. l. Divo Marc. C. de questionib.

XXXIX.

Sed ne tum quidem foemina, aut ex ea nati succedunt, cum feudum alicui & ipsius heredib. est concessum. Gail. 2. obs. 159. n. 1. VValth. 2. miscellan. c. 42. Cacheran. decis. Pedem. 26. n. 3. Schrad. 7. feud. 4. n. 2. & seqq.

XL.

Cum in feudis appellatione heredum intelligantur tantum heredes

heredes feudales, qui mares sunt, non foeminae. c. 1. § et siclinetulus, alien.
feud. Mynf. cent. 5. obs. 72. n. 6. Magon decis. 18. n. 3. & seqq.

XLII.

An idem dicendum sit, feudo alicui concessio pro se & heredib. quib. cunq; , vel quib. dederit? apud interpretes valde controversum est: Pleriq; existimant, hunc articulum adeo esse dubium, ut quò magis quis legat, eò magis se confundat, quod scribere non est veritus Garzon, de foemin. ad feuda recip. restrict. 2.

XLIII.

Mihi videtur verissimum, foeminas ne hoc quidem casu admitendas esse. Vult. 1. feud. 9. n. 29. Hart. Piff. 2. q. 1. n. 38. & n. 109.

XLIV.

Etsi enim verba concessionis videntur esse ambigua, & in utramq; partem trahi possunt: tamen puto ea ex jure communi interpretationem accipere, cui contrahentes in dubio voluntatem suam submittere, & accommodare intelliguntur: & secundum subjectam materiam restringi, quæ in proposito ejusmodi est, ut foeminas non agnoscat.

XLV.

Idem existimo etiam eo casu, quando feudum alicui concessum est, & ipsius filiis, vel descendantibus, aut etiam, pro accipiente, & ipsius liberis. Thoming. decis. 2. n. 2. per c. 1. § filia. success. feud. c. 1. § f. ad filios vero, success. frat. & c. 1. an mut. vel aliter imperfecti. Schrad. 7. feud. 4. n. 40.

XLVI.

Adde quod licet ratio, cur foeminae à successione feudi arceantur, cesset in illis foeminis, quæ ad bellum & onera militaria sunt idoneæ, quales dicuntur fuisse Amazones, & aliæ perpaucae: adhuc tamè eæ à successione feudi removendæ sint. Rosenthal. de feud. c. 7. concl. 105 Piff. 2. q. 34. n. 3. Anton. de Gamma. decis. 337. n. 3. Contra Ifern. in c. 1. § hoc quoq; notandum, his qui feud. dar.

XLVII.

Etsi enim contrahentes, à quorum voluntate feudum dependet, de heredib. dixerunt: tamè ex propria feudorū natura de masculis solummodo sensisse videntur.

XLVIII.

Eamq; ob causam ad foeminas, quantumvis armis assuetas, dispositionem referre voluisse non videntur. B Non

XLVIII.

Non enim ad ea quæ rarò accidunt, voluntates contrahentium accommodantur. 1. nam ad ea. D. ib.

XLIX.

Et ut una hirundo non ver efficit, ita nec unum vel alterum exemplum legem constituit.

L.

Non distinguimus etiam feudum exiguum à magno: utrobique dicimus, successioni fœminarum locum non esse.

LI.

Cum enim consuetudines feudales non distinguant, distinctio etiam ulla hoc casu non videtur admittenda esse.

LII.

Præsertim cum feudum exiguum, quoad sui substantiam, non minus sit feudum, quam magnum. Schrad. 7. feud. 4. n. 7. Vult. 1. feud. 9. n. 7.

LIII.

Et dispositio juris communis simpliciter concepta, tam in minimis, quam in magnis locum habeat. 1. si. proprietarius. 2. 2. & ibi gl. & Br D. dam n. in fecet.

LIV.

An in feudo, quod à mare originem accepit, & ad fœminas ex pacto postea pervenit, filia ex illa fœmina natae ad successionem admittantur filiis extantibus? Neg. cum sublata fœmina feudum statim recipiat suam originem, cum nec nomen, nec naturam suam immutaverit ob fœminam, quæ in medio extitit, ut loquitur Cujac. 1. feud. tit. 12. Pist. 2. q. 34. n. 10. & 11. Vult. 1. feud. 9. n. 34.

LIV.

Hoc jure fretus Imperator Rhodolphus I. ab Othocaro Bohemiarum Rege Austriam repetiit, quasi Friderico Duce Austriæ sine masculis heredibus mortuo ad se reversa esset. At Othocarus eam per uxorem Margaretham defuncti Ducis sororem retinere voluit. Imperator verò Austriam muliebri feudo esse negavit negavit, inquam, jus succedendi in feudo patris, filia, datum etiam sorori datum esse.

Cum

LVI.

Cum enim privilegio Friderici II. Duci Austriae hoc tantum detur, ut si Dux sine herede filio vita decesserit, Ducatus ad seniores filiam perveniat, ut ex archivis Austriae protulit Cuspinian, jure sane Imperator Rhodolphus Austriam ab Othocaro repetiit.

LVII.

Sed nec in feudo franco, id est, quod ab omni servitio liberum est, foeminam succedere existimo: cum Curt. part. 3. de success. foem. n. 5. Zas. part. 8. n. 44. Duaren. c. 10. n. 7. VVe senbec. conf. 74. n. 3. Schrad. 7. feud. 4. n. 1. idq; usus observat: etsi quam plurimi dissentiant.

LVIII.

Quam sententiam haec mihi ratio satis videtur confirmare: Secundum enim naturam propriam feudorum est, ut foeminae ad successionem non admittantur: at feuda etiam impropria, ut est feudum francum, naturam feudi retinent in illis, in quibus per pacta investiturae adjecta, naturae feudi expresse derogatum non est: c. 1. feud. non hab. prop. nat.

LIX.

Idemq; arbitror etiam in feudo ad certum servitium concessio, non obstante, quod servitium illud aequè commodè per foeminam, atq; per masculum explicari possit. Borch. 7. feud. part. 2. n. 63. in fin. Ifern. in c. 1. § fin. in quib. caus. feud. amitt. Rosenth. c. 7. concl. 87. Schrad. p. 7. c. 4. n. 10. Sic foemina non succedit in feudo, pro quo Vasallus annuatim certum solvit censum: Alex. conf. 9. n. 7. et 8. lib. 5. Dec. conf. 139. in fin. & 193. & in 1. n. 64. D. R. I. Brun. conf. 4. n. 4. Rol. a Vall. conf. 23. n. 35. lib. 1. Fachinæ. lib. 7. c. 6. trov. c. 40. Contradic. Vult. 1. feud. 9. n. 41. & 42.

LX.

Et in feudo emittio: ex doctrina Ifern. in c. 1. § hoc autem notandum. his qui feud dare possint. Laudens. in § & quia vidimus eod. tit. ubi hanc sententiam Ifern. v. riorem esse dicit: Iacobin. de S. Georg. in § b. & foeminis. n. 16. ubi adfirmat, se in facti contingenta vidisse ita judicari. Idemq; secutus VVurmser. in pract. obs. ut. de feud. obs. 17. Zas. part. 1. 2. § tertia conclusio, ubi affirmat, se de facto ita consulviss: Idem part. 8. n. 33. & conf. ult. n. 22. & 23. lib. 2. Ludovic. Vital. lib. 2. Var. lect. c. 30. in fin. Et hanc sententiam supremæ Camerae assessores comprobarunt teste Mynsing. Cent. 5. obs. 73. Hart. Pist. q. 34. n. 8. & magis communem adfirmat Rol. a Vall. conf. 23. n. 32. vol. 1. & ideo ab ea in judicando & consulendo recedendum non est: Vult. 1. feud. 9. n. 44. contradic. Dec. conf. 390. n. 7. Nat. conf. 246. n. 4. qui et.

iam ad heredes extraneos feudum pecunia emtum transire adfirmat. conf. 159. n. 4. quod ne-
quaquam est recipiendum, arg. c. Imperialem. de prohib. alien. feud. c. 1. §. si duo fratres. de
novo benefic. invest.

LXI.

An autem foemina à Principe investiri possit, in feudo an-
tiquo, ut succedat in eo exclusis agnatis, ardua, difficilis, & magni
nominis est quaestio: Et posse istud fieri per Principem ex pleni-
tudine potestatis, respondit Dec. conf. 490. Brun. conf. 1. & 4. & conf. 6. & 95.
Covarr. 3. Var. resolut. c. 6. n. 3. quo jure nihil posse dici iniquius, rectè scri-
bit Hott. in c. 1. quemadmod. feud. ad fil. pertin. Myns. resp. 92. n. 9. & seq. late Pruck-
man in §. Soluta potestas, c. 4. membr. 1. effect. 5. Tap. ad l. fin. de constit. princ. c. 9. part. 2. n. 24.
& seqq.

LXII.

An foeminae, cum feudum ipsum non debeatur, saltem de-
beatur legitima ex feudo? Neg. cum foeminae in feudo regulariter
non succedant. Hart. Piff. 2. q. 38. Vult. 1. feud. 9. n. 58. De feudo novo praer-
fertim pecunia emto, vide Iac. Thoming. decis. 2.

LXIII.

Nisi filiae aliunde non habeant, unde vivant, tunc enim ex
feudo alimenta & dotes ipsis deberi putantur. Hart. Piff. 2. q. 37. Schurff.
conf. 24. ubi de generali consuetudine Germaniae perhibet testimonium. Borch. c. 7. part. 2.
n. 24.

LXIV.

An filia heres ex testamento vel ab intestato mittenda sit
in possessionem bonorum etiam feudalium, contradicentibus agna-
tis, tanquam vocatis ex investituris feudalibus? Neg. ex Fachinæ. 4.
Controv. 22. cum foeminae regulariter in feudis non succedant, sed tan-
tum masculi, eamq; ob causam ipsi jam fundatam habeant inten-
tionem: contra Cacheran. decis. 24. n. 36. & decis. 26. Schrad. 7. feud. 4. in fin. Vult. 1. feud.
9. n. 59. & seqq. & 2. feud. 1. n. 23.

LXV.

Planè foemina jus habet feudi retinendi, quoad impensae &
meliorationes in re feudali factae à parente vel majoribus suis,
quorum n est heres, reddantur. Vult. 1. feud. 9. n. 56. ex c. 1. §. si Vasallus. hic
fin. lex.

Hacte-



Hactenus quod foeminae feudorum capaces non sint, satis copiose demonstratum est :

LXVI.

Ceterum quod jure regulariter prohibitum est, ut foeminae & ex foemina nati in feudo non succedant, id eodem jure plures declarationes recipit : quas nos perspicuitatis causa ad tria capita revocabimus:

Pars II. foeminas quã doq, feudorum capaces esse.

LXVII.

Aliquando enim natura & qualitas feudi patitur, ut in eo foeminae succedant : aliquando conventio contrahentium : aliquando loci consuetudo efficit, ut foeminae feudum accipere & habere liceat : quib. omnib. derogari posse juri communi, verissimum est, & usitatissimum,

LXVIII.

Natura feudi istud patitur: veluti, si feudum sit foemineum: e. j. de nat. success. feud. c. 1. succ. frat. c. 1. feud. foemin. hoc est, quod foeminae primum per investituram est constitutum.

LXIX.

Eo ipso enim quod feudum foemineum à foemina cepit, ejus naturae esse censetur, ut foemina illius sit capax.

LXX.

Nec requirimus hoc casu, ut foemina ex speciali pacto ad successionem sit vocata, ut late probat Vult. j. feud. 9. n. 4. Schrad. part. 7. c. 4. n. 48. Borch. c. 7. n. 69. Harr. Piff. 2. q. 34. n. 18 & seqq. Fachinæ. 7. contr. c. 38. Cabot. j. Var. iur. disp. c. 19. An autem sicut feudum acquisitum à foemina, ejus est naturae, ut foeminae in eo admittantur : ita è converso etiam idem hoc obtineat in feudo quod foemina dedit, sive concessit? Neg. ex trad. per Harr. Piff. 2. q. 34 n. 28.

LXXI.

Conventio contrahentium foeminas admittit, veluti, si in

contractu investituræ primæ nominationis sit cautum, ut fœmina
in feudo succedat. c. 1. § hoc autem notandum, his qui feud. dare possunt. c. 1.
§ fin. success. feud. c. 1. in fin. feud. March. c. 1. in fin. in quib. caus. feud. amitt. c. 1. in pr. natō
success. feud. Vult. 1. feud. 9. n. 47.

LXXII.

De consuetudine nulla est dubitatio, quin per eam fœminæ ad suc-
cessionē feudi admitti possint. LXXIII.

Quemadmodum enim consuetudinib. feudalib. est intrōdu-
ctum, ut fœminæ regulariter non succedant, ita consuetudine con-
traria induci potest, ut fœminæ in feudum succedant.

LXXIV.

Præsertim cum hæc consuetudo non sit irrationabilis, sed
per eam ad jus commune & naturale redeatur.

LXXV.

Sic feuda Ecclesiastica, quæ à curvo baculo dependere dicun-
tur, quibusdam Pfaffica beneficia, lingua vernacula, *Krumbstäbi-
sche/vel vom Krummenstab herrührende Lehen*/de consuetudine ple-
raq; sunt ejusmodi, ut in illis fœminæ succedant, etiamsi ejus con-
ditionis non sint, neq; fœminarum in investitura specialiter men-
tio facta fuerit: ut testatur V Vesenb. *conf. 74. n. 24. Vult. 1. feud. 9. n. 48. Ta-
lia feuda sunt Fulda & Hirschfeldt/ item, Abbatia Corbejensis:
teste Ferrar. lib. 3. de feud. c. 8.* LXXVI.

Etsi extra consuetudinem, ne in feudis quidē Ecclesiasticis fœmi-
nas succedere, verius sit. *Schrad. part. 7. c. 4. n. 36. Rosenth. c. 7. concl. 30.*

LXXVII.

Sed an quod generali provinciæ alicujus consuetudine in-
duci potest, hoc idem inducatur speciali alicujus familiæ consue-
tudine? *Aff. si in aliqua familia stylus ille fuerit approbatus,
vel toleratus, & à Domino præsertim sciente observatus: ex tradit.
per Bolognet. in l. omnes populi. n. 57. & seqq. de iust. & iur. Schrad. part. 7. c. 4. n. 54.
Schneid. v. part. 6. n. 33. Tiraq. de iur. primigen. q. 16. Vult. 1. feud. 9. n. 48. Duar. c. 10. n. 8.
Cott. mem. incip. progenies. Myns. in § ceterum. in fin. instit. de legit. agnat. success. ubi dicit,
se multas eiusmodi familiarum consuetudines & privilegia vidisse.*

LXXVIII.

Et hæc in feudis regulariter: An autem id quod in cete-
ris feudis consuetudine recipi potest, ut in eo fœminæ succedant
etiam ad feuda regalia trahi debeat: & an valeat ea consuetudo
quæ

quæ ad Regni successiõnem fœminam vocat, est quod dubites.
Et sanè ea est eorum, qui de repub. differunt, opinio, ne rerum gu-
bernacula mulierib. facillè committantur.

LXXIX.

Non enim fœminis imperare decorum est, & ut in L. Sali-
ca dicitur: Regnum non debet esse penes eolum.

LXXX.

Verum quia hic nobis propositum est de jure disputare:
responde nus, non minus atq; in aliis quæstionibus juris etiam hac
in parte jus istud ex lb. singulorum populorum considerandum
esse.

LXXXI.

Et id pro jure accipiendum, quod publica consuetudo & mo-
res diuturni comprobant.

LXXXII.

Præsertim, cum de jure publico quæramus, in quo nõ tam
ratio dominatur, quàm status cujusq; Reipubl. & Regni conditio
populi voluntate & consensu explicata.

LXXXIII.

Sic ex historiis constat, multos fuisse populos, qui imperium
fœminarum non rejecerunt.

LXXXIV.

Sic Arrian. lib. 1. de reb. gest. Alex. in Asia receptum fuisse scri-
bit à Semiramidis tempore, ut Vxores Regum post eorum mor-
tem regnarent, & in Ægypto, in Saba apud Indos, & in aliis ple-
risq; regionibus olim mulieres regnarunt.

LXXXV.

In Polonia, Venda Regina, in Bohemia, Lybussa, in Dania,
Gyuritha, antiquitus regna illa administrarunt.

LXXXVI.

Neq; quicquam magis alienum à fide historiæ dici potuisse
arbitror, quàm quod quidam non ignobilis politicus scriptum reli-
quit, nullum unquam populum repertum fuisse, qui gynæocrati-
am probarit, usq; ad illa tempora, quib. deficiente Principum
Nor-

Normanorum filia, Neapolitanum Regnum Constantiæ, uxori
Henrici, filii Friderici Imp. delatum est.

LXXXVII.

Nec continuò si lege divina prohibentur mulieres viris im-
perare, rejicienda prorsus fuerit hæc consuetudo.

LXXXVIII.

Viris enim suis, id est, maritis, jubentur lege divina mulieres
subesse, non ceteris. *Genes. 3.*

LXXXIX.

Sic nec ex eo, quod lege naturæ magis aptum est ad impe-
randum, quod est masculinum, quàm quod fœmineum, mulieres co-
tinuo à Regnis removendæ sunt.

XC.

Nam quemadmodum natura non semper efficit, ut ex bo-
nis boni nascantur, & ex malis mali: sic nec consequenter, quic-
quid masculinum gignitur, semper est perfectius eo, quod nascitur
fœmineum. Vide de hac q. præclare differentem P. Gregor. Tolosan lib. 7. de republ.
1) 1) ubi hanc sententiam eruditissime probat, & ad contraria luculenter respondet.



XCI.

*Pars III.
quomodo
fœminæ
feudorum
sint capa-
ces.*

Quæ de successione fœminarum in feudis diximus, hac le-
ge addita intelligenda sunt, ut in quibuscunq; casibus feudum ad
fœminas pertinere receptum sit, generaliter ad successionem illæ
tum demum admittantur, quando masculi à primo acquirente
nulli amplius supersunt, non admittantur, si supersint. c. 1. § quin et-
iam, Episc. vel Abb. c. 1. § fin, success. feud. c. 1. eo qui sibi vel heredib. suis.

XCII.

Nec refert, quomodo feudum sit concessum; utrum mascu-
lis & fœminis: an masculis cum fœminis: an pro accipiente & he-
redibus utriusq; sexus. Semper verum est, interpretationem in du-
bio fieri secundum dispositionem juris feudalis, ut tum demum
fœminæ succedant, si nulli amplius extent masculi. *Montan. 2. de
feud. c. 8. Vult. 1. feud. § n. 49. ubi quam plurimos consent, & dissent. allegat.*

Neq;

XCIII.

Neq; ordinem istum succedendi jure feudali receptum, illa formula, si feudum datum sit pro accipiente & quibuscunque heredibus, immutat, sed adhuc mares præferuntur foeminis. Brun.conf. 18.n. 12.vol. 1. Menoch.conf. 443.n. 65.vol. 5.

XCIV.

Etsi autem in feudo foemineo, id est, quod à foemina primum acquisitum est, aliud dicendum videbatur, prout etiam visum est doctissimo Cujac. in 1. feud. tit. 12. & Cabot. lib. 1. Var. iur. disp. c. 19. cõmunius tamẽ obtinuit, etiam in isto feudo foeminas non admitti, quoad mares supersint. Afflic. in c. 1. n. 18. de nat. success. feud. Schneidvv. part. 6. n. 34. Schrad. d. c. 4. n. 60. Idque receptum esse testatur Curt. Jun. conf. 181. n. 2. Mozz. de substant. feud. n. 88. Hart. Piff. 2. q. 34. n. 28.

XCV.

Quam ad rem se accommodant etiam statuta, quibus ad successionem feudi mares & foeminae admittuntur simpliciter, ut foeminarum post mares demum, ijsq; deficientibus, habeatur ratio. Schneidvv. part. 6. n. 42.

XCVI.

Nec quoad hoc vel de jure feudali, vel de statuto inter mares & foeminas gradus proximitas attenditur, sed mas, tametsi remotior, præfertur foeminae etiam proximiori. VVesembec. c. 6. n. 23. Hart. Piff. 2. q. 34. n. 5. Fachinæ. 7. contrrov. c. 44.

XCVII.

Vnde in feudo paterno seu antiquo, filia defuncti Vasalli possessoris, cui nullus est filius, aut ex ipso mas descendens, præfertur frater defuncti, qui superest, id est, defuncti filia, patruus. c. 1. eo qui sibi vel heredib. Vult. 1. feud. 9. n. 49.

XCVIII.

Sed an si foeminae solae existentes, semel in feudo successerint, masculus, qui postea nascitur, faciat, ut foeminae à feudo discedere cogantur? Neg. cum ea sit natura dominij, ut perpetuò sit penes eum, qui id acquisiverit. arg. 1. sive possidetis. C. probat. Vult. 1. feud. 9. n. 49. in fin. Montan. 3. feud. c. 8. Fachinæ. 7. contrrov. 41. Schrad. 7. feud. c. 4. n. 32.

C

Nec

XCIX.

Nec cum Sonsbec. distinguimus, an filia de illo feudo legitimè fuerit investita, nec ne: quia hæc filia non tam ex investitura, quam ex ipsa successione, sibi ex pacto antecessorū delata, jus quæsitum habet, ut notat Pistor, 2. q. 35. n. 10.

C.

Ab hoc jure unicus casus excipiendus est, si videlicet defunctus uxorem prægnantem reliquerit, & hæc deinde filium genuerit. Et si enim foemina sola existens interim successione affectat: hoc in filio in utero adhuc clauso, merito nullū adferre debet præjudicium, ut cōfirmat Math. de Afflict. in c. 1, eo qui sibi vel heredibus

CI.

Planè fieri potest, tam ex pacto speciali, quam ex consuetudine ut foeminae unà cum masculis pariter admittantur ad successionem feudi, ut probat Duaren. c. 10. n. 9, Schrad, d. c. 4. n. 77.

CII.

Sed quid si in feudis foemina semel sit exclusa per masculum, an ob id censeatur perpetuò esse exclusa, ita ut nunquam ad feudi successionem admittatur? Neg. ex c. 1. eo qui sibi vel heredibus, c. 1, duob. fratrib. a Capit. invest. Hirm. Pist. 2. q. 36. Myaf. cent. 5. obf. 74. Vincent. Cabot. 1. var. c. 19. Vult. 1. feud. 9. n. 51. ubi dicit secundum hanc sententiam aliquoties respondisse collegium iuriconsultorū in Academia Mirpurg. Conrad. Dd. com. quorum rationes & argumenta vide apud eundem: addè Gail. 2. obf. 148. Schrad, d. c. 4. n. 83. & seqq. VVesemb. conf. 74. n. 19. conf. 39. n. 17. Cacher. decis. 23. n. 17. Tessaure. decis. 63. n. 5.

CIII.

Similis est illa quæstio: An in eo Regno; in quo foeminae à successione Regni excluduntur, deficientibus omnibus masculis, tam descendentibus, quam eis, qui ex latere veniunt, foeminae, aut saltem mares ex foeminis, ad regni successionem admittendi sint? Et arbitror admitti non debere.

CIV.

Principio enim lex generalis est, quæ perpetuò prohibet eas succedere.

CV.

Leges autem supplere nostrum non est, sed interpretari tantum.

Inter-

CVI.

Interpretatione verò legis admitti nequeunt, cum utraq; legis ferendæ ratio, quam supra retuli, repugnet.

CVII.

Mulieres enim ex domo Regia non domui Regiæ liberos pariunt, sed ei cui nubunt.

CVIII.

Accidere etiam potest, ut extero Principi nubant, quo casu populus exteri Principis imperio pareret, & cautio legis inanis esset.

CIX.

Itaq; fatius est respondere, mortuo Rege sine liberis & agnatis, liberam esse ordinum Regni dispositionem, quæ regno prospiciat. Vincent. Cabot, lib. 1, var. tur. disput. c. 16. in fin.

CX.

An autem ea lege, qua foeminae excluduntur à Regni successione, excludantur etiam à Regni procuratione, & regimine? quod pleriq; putant.

CXI.

Cui enim per se, inquit, reginam esse jus non est, eidem regendi jus ac potestatem non esse.

CXII.

Ex quo inferunt, mulieres non solum ab hereditate regni, verum etiam ab ejus procuratione removendas.

CXIII.

Quæ tamen sententia per omnia recipienda non est: nam alia est ratio procurationis regni, alia successionis.

CXIV.

In procuratione nullus subest metus, ne in aliam familiam regnum transeat: ne populus extero Principi subjiciatur.

CXV.

Cessant igitur in Regni procuratione rationes, quæ à successionem Regni mulieres repellunt.

C 2

Inde

CXVI.

Indeq; lb. eorum populorum, apud quos mulieres à Regni
successione repelluntur, non tamen à regni procuratione remo-
ventur.

CXVII.

Sic in Aethiopia foeminae in regno non succedunt: tamen
Helenam matrem Regis Aethiopiae procurationem regni habuisse
se filio minore annis, scribit Ofor. lib. 6. histor. Portugall.

CXVIII.

In Francia, saepius regis matribus & uxoribus commissam,
notum est: multa q; Renatus Chopin. lib. 3. de doman. c. 5. exempla ad-
fert.

CXIX.

In Hispania, Iohanna, Philippi Archiducis Austriae, & Du-
cis Burgundiae conjunx, Ferdinandi Hispaniae Regis filia, Caroli
V. Imp. mater, triginta annis post mortem mariti regni procura-
trix habita est, honoris causa omnib; in Hispania actis et diplo-
matibus nomine ipsius & Caroli filii praescripto. Chytrae. 18.
Chronicor.



Συμπερασμα.

Tractatū est, in feudis foeminas non succedere, & si quando
succedant, non aliter quam deficientib; masculis succedere,
quod propositum nobis fuit.

CORONIDES: I.

An exclusio foeminarum in feudis sit odiosa, nec ne?

2.

An in feudo ad foeminas descendente moniales admittantur?

Neg. ex not. per Chassanæ. in consuet. Burgund. tit. des fiefs. § 1. excepte, les religient, n. 15.
Contra Felin. in c. in present. probat, Alex. conf. 10. & conf. 98. n. 6. vol. 5. Inrigitol. q. feud.
54. n. 58. & seq. Ant. de Gamma. decis. 6. n. 1. Capic. decis. 10. n. 9. & 10.

3.

An soror in fructibus à tutorib; ex impuberis fratris feudo
collectis, cum fratre succedat?

Neg. ex trad. per Myuscent. 6. obs. c. vii.

Quomodo



4.
Quomodo accipiendum sit, quod Pompon. scribit. in l. Si ita scriptum. 46. D. legat. 2. exemplo turpissimum esse, foeminino vocabulo etiam masculos contineri? Vide Alc 2, parerg. c. 48.

5.
Cur Hesiodus uxorem iuvenulam ducere preceperit? Vide Tiraq. in tr. de lb. connub. gloss. 1, part. 6, n. 2, & seqq. Francisc. Barbar. lib. 2, de re Vxor. c. 1, Steph. Guazz. lib. 3, de civili conversat. pag. 3, n. 6, & seq.

6.
Quam ob causam Ulpian. in l. observari § proficisci. D. offic. proconi. cesuerit, melius esse Proconsulem sine Vxore proficisci? Vide Tiraq. de lb. conaubialib. gl. 1, part. 9, conf. 44. VValther, 1 miscellan. c. 13.

7.
An vir Vxori futuræ, & contra Vxor, viro futuro, vitium corporis occultum detegere debeat? late Tiraq. de lb. connub. gl. 1, part. 4, per tot. Camerar. in medit. hist. c. 34.

8.
Vtrum ne à corpore, an ab animo principium habeat sensilis pulcritudo? August. Niph. in tract. de pulcro, lib. 1, c. 33, & c. 42.

9.
An rectè dictum sit à Virg: Grator est pulcro veniens è corpore virtus? ex Tiraq. de lb. connub. gl. 1 part. 2, n. 40. contra Senec. ad Lucil. 67.

10.
An amor conjugalis primum & supremum amicitiae gradum obtineat: & an in pari causa conjunx etiam liberis carior sit? Aff. ex Chassanæ. de glor. mund. part. 2, confid. 35, & seqq.

11.
Debeat ne mulier honesta putare, mores viri esse sibi legem datam à Deo & natura, & contra? Aff. ex trad. per Primaud. lib. 1. Academi. Gallie. c. 48. Cas. lib. 2. Oecon. c. 1. q. 5.

12.
Vtrum majori laudi sit honestæ foeminæ, cum viro infortunato, quam cum viro fortunato vivere? Cas. lib. 2. Oecon. c. 1. q. 7.

13.
Vtrum foeminæ æquè ac mares amoris divini capaces sint? Castigl. lib. 4. de aulico: pag. 377

14.
Qua ratione fieri possit, ut homines. ab amore tantum immutentur, ut non amplius iidem esse videantur. C 3 Qua

Qua de causa Virg. Aeneam suam, quem tanquam aliquod in-
signe probitatis & sapientiae exemplum nobis proponite amoris ta-
men laqueis irretitum esse velit?



Hypothesis cum questione.

Cum pater divisione bonorum suorum inter filios suos A. & B.
facta, autor ipsis esset pacti conventi, de nihil ex istis bonis alienan-
do, quod pactum etiam jure est firmatum: mortuo patre filius A.
ob eas alienum ingens bona sua contra pactum Comiti C. pro exi-
guo vendidit precio, sic tamen ut pro reliquo precio venditorem
cum sua familia, dum viveret, pro dignitate emtor aleret: mortuo
tandem venditore A. frater ejus B. bona vendita ab emtore C. vin-
dicat? quæritur quid juris?



DN. IEREMIAE SETSERO,
SILES. IVRIS CONSULT. ET PHILO-
logo Clariss. & celeberrimo: Collegæ & ami-
co ut fratri cariss. & obf.

S. P.

IEREMIAS SETSERUS SVVIDNIC. SILESIUS, PHILOSO-
PHIAE ET VTRIVSQUE IURIS DOCTOR.

Per Anagrammatismum:

PERPES O È STUDIIS VIVES; ILLUSTRIS HONORE,
INSERVIS THEMIDOS IUSTICIAEQUE SACRIS.

Elias Reusnerus. Med Lic. et hi-
stor. ac poetices P.P.
in Salana.

IN

IN ABITUM

VIRI CLARISSIMI ET UNDEQVAQ;
DOCTISSIMI DN. HIEREMIAE SETSE-
RI SILESII PHILOSOPHIAE ET I. U.
Doctōris Excellentiss^{mi} Promotoris sui honoran-
dissimⁱ

Genā Francofurtum Marchionum iter adornantis:

HIEREMIAS SETSERUS SUEBIDNICENSIS, JURIS DOCTOR.
Per Anagrammatismum.

VIDESNE? HIC ET MIRUS, AC SERUS ERIS IN ORE STUDIOSIS.

SETSERE Aonidum decus immortale sororum,
Et CONSI ac THEMIDOS nate adamate DEU^m M^s
Qui multā multos lucratus es arte, VIDESNE
Quid tua promittant nomina clara tibi?

Nempe quod ingenuis Doctoribus accidit, Vltro
Nomen ut à serā posteritate ferant:

Dumq; facem scriptis alijs afferre laborant,
Ipsos insignis sponte sequatur HONOS

Sic quoq; tu multam qui lucem Legibus affers,
(Si tua verſa velis nomina consulere.)

HIC ET MIRUS ERIS STUDIOSIS omnibus, arte
Mirandā, AC docti SERUS IN ORE gregis.

Nec mirum hoc, nullos hominum benefacta per annos
Cum pereant, sed nos DIIS faciant similes:

Quin ergo, hic nullos non durature per annos,
Pergis, & ad Sponsam fersq; refersq; pedem?

Sat magna hic LIBRIS & doctae flumine linguae
Sunt quaesita tibi nomina, fama, decus.

Nunc etiam facito, quondam qui ingentibus ausis
Teq; patrem factis LIBERI in astra ferant.

Hoc etenim magnum est, non uni insistere palme,
Sed famam GENIO querere & INGENIO.

F. Mauricius Schröter. M.


Kol 3572 I


ULB Halle 3
005 390 761



me







DE IVRE FOEMINARVM
IN FEVDIS:

ATERIA NOBI

I, AMPLA, DIFFICILI,
ET NODOSA:

Tractatio,

Ex I. u. flosculis,

*optis interpp. & summorum tribunalium
sententijs & præjudicijs,
breviter deducta,*

politicijs ac historicis argumentis &
exemplis illustrata:

*Et ex autoritate & consensu
mi & Nobilissimi ordinis Iurisconsultorum,
n illustri, atq; celeberrima Academia
FRANCOFORDIANA:*

PRO LOCO
Publicè proposita

AB

REMIA SETSERO SILES.
Philosoph. & u. I. D.

Respondente

RISTOPHORO STEPHANI
Francofurtano March.

atio fiet, Deo dante, a. d. xx. Sept. h. 7.
mat. & seqq. in auditorio ICorum.

Typis Sciurinis.



Handwritten mark or signature.

